



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXVII. De Postulando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

TITULUS XXXVII.

De postulando.

SUMMARIUM.

1. Postulare quid sit.
2. Id pro presentibus faciunt Advocati:
3. Quales esse generaliter possunt omnes.
4. Ferè prohibentur, Hæreticus, Servus, Minor,
5. Femina, nisi liberorum sit tutrix,
6. Cæcus, Surdus, Capitali crimine damnatus,
7. Judex, Tabellio, Jurium imperitus,
8. Excommunicatus, Religiosus:
9. Nisi cum consensu Prelati pro monasterio:
10. Sacerdos in quacunque causa,
11. Extra Curiam Romanam:
12. Ceteri clerici Majores & beneficiati,
13. In negotiis & Curis Secularibus.
14. Advocati esse possunt alii clerici Minores:
15. Nisi in causa sanguinis contra reum.
16. Postulare nequit, qui id jussu recusavit:
17. Licet pauperi gratis quis servire,
18. Aut, ejus advocato salarium dare, adversarius non teneatur.
19. Patrocinari quis nequit adversario sui clientis,
20. Et cuicumque foventi malam causam,
21. Vel cum vix ulla spes victoria est:
22. Etsi causam minus probabilem stare possit.
23. Non valet pactum de quota liti,
24. Aut alia re in eventum victorie.
25. Licet de iis præstitum juramentum
26. Et post victoriam simplex promissa obliget.
27. Advocati officium:
28. Quod, ut impleatur, curiæ præfata Curia,
29. Salubribus quinque Modis observatis.

Cum pactis, & Transactionibus
lis componi nequit, litigantes
adeunt judicem, eique per se
vel alios jus, quod habere vi-
dentur, & desiderium suum postulandi
exponunt; Postulare enim, ut hic so-
mitur, est suum vel amici desiderium
apud eum, qui jurisdictioni præest, in
jure sive judicio exponere, quæ acto-
ris: vel, quæ rei partes sunt, alterius
desiderio contradicere, l. 1. §. 2. ff. de
& can. Infames 2. §. Est autem 3. q. 7.
Ii autem, qui pro amicis, aut etiam pro
extraneis personis postulant, vel Procu-
ratores sunt vel Advocati: quæ nomi-
na, licet frequenter accipiuntur pro in-
dem, propriè tamen Procurator dicitur,
qui postulat pro altero absente, quisque
causam in judicio prosequendam in se ha-
scipit: Advocatus autem sive, ut etiam
vocatur, causæ Patronus, qui in judi-
cio præ-

cio presenti & causam per se agenti patrociniū aliquid vel defensionem præstat, Sylvester *V. Procurator pr. & Tholosan. Syntag. lib. 49. cap. 6. n. 6.*

Porro postulare sive, de quo nunc agimus, Advocati munus obire, qui nominatim non prohibentur, generaliter omnes possunt; quia Edictum de Postulando perinde, ut de Procuratoribus prohibitorium, ac proinde de re generaliter permissa est, juxta *l. Mutus 43. §. 1. ff. de Procurat.* Gonzalez *in c. 1. n. 6.* Prohibentur autem aliqui Lege, alii Canone & quidam Sententiâ judicis.

4. Lege Civili & (quod, postquam confirmatum est, sub lege refertur) Edictò Prætoris prohibentur Hæreticus & Infidelis sive, qui sacro Baptismate lotus non est, *l. Nemo 15. C. de Episc. Audient. §. 1. fin. C. bic.* Servus; quia legitimam personam standi in judicio, & Juris Civilis communionem non habet, *l. Quod armet 32. ff. de R. J.* Minor septendecim annis, *l. 1. cit. §. 3. cum;* quia non habet perfectum judicium, quò opus est in postulando: tum verò; quia indecorum est, ut qui curatore adhuc eget & proximus est iis, qui se regere non possunt, alios regat, *c. Indecorum 3. de Etat. & qual. Famina, l. 1. cit. §. 5. & l. Famina 2. ff. de R. J.* propter verecundiam &, quòd alienam defensionem suscipere munus sit virile, *l. Alienam 3. C. de Procurat.* Excipitur tamen casus, quò femina est tutrix filii; cum enim istius bonorum administrationem ei deferat Lex, etiam concedere videtur, ut pro filii defensione in judicio assistat, *arg. c. Ex parte 67. de Appellar. Pirrhing ad hanc Rubricam n. 4.* Cæcus, utroque lumine orbatus; quia Magistratus insignia videre & revereri non potest, *cit. §. 5. V. Casum,* Surdus, qui prorsus non audit; quia Prætoris decretum non va-

let exaudire, *cit. §. 3. P. Propter.* De crimine capitali vel de calumnia publicè judicìo condemnatus. Qui operas suas ad depugnandum cum bestis pro mercede locavit, aut insigni aliqua turpitudine vel infamiâ est notatus, *cit. §. 5. & §. 6.* quia advocati munus honorificum est, *l. Laudabile 23. C. de Advocat. divers. jud.* qui, si postulaverint, extra ordinem puniuntur: nisi eos officii necessitas excuset; quòd id fecerint pro personis conjunctis, vel pro pupillis & minoribus, ut eorum tutores vel curatores, *cit. §. 6. & l. Puro 6. ff. bic.* Qui testamentò acceperit aliquid, si illud alienò nomine velit impugnare, *l. fin. ff. de Inoffic. testam.* Judices & arbitri in causa, in qua sunt judicaturi, *l. Quisquis 6. C. bic.* Tabellio, Tholosan, *cit. cap. 6. n. 27.* Litterarum & Jurium imperiti, *l. Nec ceterorum 2. C. bic.* Imò hodie, ex Imperii Reversibus & majorum Curiarum Consuetudine, advocatum agere nemo permittitur, nisi Juris sit peritus & istius Professorum judicìo comprobatus, *l. Neminè 11. l. Jubeamus 3. §. 4. C. de Advoc. divers. jud.* & hodie, nisi renuntiatus Doctor vel Licentiatus, atque insuper ad munus illud obeundum à judice sit admittus. In multis etiam tribunalibus non recipiuntur libelli & super causis confectæ scripturæ, nisi alicujus recepti advocati manu sint subscriptæ.

Canone, sive Constitutione Ecclesiastica præterea postulare sive advocati munus obire prohibentur Imprimis Excommunicati, *c. Decernimus 8. de Sent. excom. in 6.* Glossa ibi *V. Patrocinandò;* propter interdictam sibi cum fidelibus communicationem etiam Forenses, *c. Intelleximus 7. de Judicis.* Deinde Monachi, *can. Monachi 35. V. Similiter 16. q. 1. & Canonici ceterique Regulares, c. Ex parte 2. bic;* ne rebus forensibus

C c c c 2

impli-

- impliciti ab instituto & sine suo avocentur: nisi advocati munus suscipiant propter utilitatem Monasterii, atque insuper accedat mandatum sive consensus proprii Prælati Regularis, *c. cit.* & in Societate JESU Præpositi generalis aut alterius ab eo ad hoc concedendum facultatem habentis, Constitut. *p. 6. cap. 13. n. 7. junctâ declarat.* Duobus autem his, scilicet monasterii utilitate & Prælati consensu concurrentibus, postulare Religiosi possunt coram iudice non solum Ecclesiastico, sed etiam Seculari. Altero autem eorum deficiente, advocati esse coram neutro possunt, Barboza *in c. Ex parte cit. n. 2.* Imo FF. Minores S. Francisci Seraphici ob nullam monasterii sui utilitatem ejusmodi munus etiam de superiorum suorum licentia obire possunt, *Clement. Exivi 1. de V. S. Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 13. n. 11.* Et denique etiam clerici Seculares: inter quos tamen necessaria distinctio est.
10. Et primò quidem Sacerdotes, neque in Seculari neque in Ecclesiastico tribunali postulare, sive Advocatos agere permittuntur, *c. 1. & c. fin.* cum enim, ut istius textu habetur, *Sacerdotis officium sit, nulli nocere, omnibus velle prodesse*, ab eo utique, seclusâ necessitate, alienum est officium Advocati: qui, dum litigantium uni patrocinandò assistit, alterum oppugnat; cum, ubi subveniri non potest alteri, nisi alter lædatur, expedit juvari neutrum, quàm alterum gravari, *can. Denique 14. q. 1. Secusâ*, inquam, *necessitate*; propter quam advocatio Sacerdotibus *cc. cit.* permessa est quatuor casibus: scilicet, si suam, vel Ecclesiæ suæ, vel ratione sanguinis sive cognationis & probabilius etiam ratione Ecclesiæ, Laiman *in c. fin. cit. n. 2.* conjunctarum vel miserabilium personarum causam prosequantur; qui-

bus casibus postulare cæteris clericis omnibus est permissum.

Extra hos autem casus, licet advocatos agere prohibeantur Jure, Consuetudine tamen, summi Pontificis tolerantia approbata, advocacionis & procuracionis publica munera obire in Curia Romana solent, testibus Steph. Gratiano *Tom. 1. Discept. cap. 17. n. 38. & Fagnano in c. 1. cit. n. 22.* Extra Curiam autem illam Consilia petentibus etiam scripta dare non prohibentur, quia postulare est suum vel amici delictum exponere *In Jure, & Apud eum, qui præest jurisdictioni, l. 1. §. 2. ff. hic, sive in loco, in quo, & apud eum, à quo jus dici solet: quod non facit, qui privatim & domi consulitur & consilia conscribit, Panormit. ad hanc Rabria n. 2. & Fagnanus l. cit. n. 21.*

Secundò, Clerici in majoribus quàm Sacerdotes non sunt, scilicet Diaconi & Subdiaconi: uti etiam in minoribus constituti, si obtineant beneficium Ecclesiasticum, Advocati & Procuratores coram iudice Ecclesiastico esse possunt in omnibus causis, ut colligitur ex *c. 1. cit. verbis, Coram Seculari iudice advocati in negotiis secularibus* (extra casus omnibus permisso) *feri non permittuntur*; ex quibus argumento & contrario ductò inferitur, advocacionis munus ipsis coram iudice Ecclesiastico non interdici, Panormit. *in c. 1. cit. num. 3.* & ibi Fagnanus *num. 7.* Ratio autem advocacionis munus in Curia & negotiis secularibus hujusmodi clericis prohibendi fuit; quod in sacris, perpetuò & irrevocabiliter: & in Minoribus constituti, qui beneficium habent, latet quam diu hoc retinent, servitio Divino sint adstricti, & ex fructibus beneficalibus congruam & ab Ecclesiâ provenientem habeant sustentationem. Tercio

14. Tertio, ceteri clerici in minoribus constituti in causis etiam temporalibus & coram iudice seculari advocati esse non prohibentur, ut arg. à contrario colligitur ex c. 1. cit. verbis, *Si Stipendiis Ecclesiasticis sustententur*; quòd in his deficiat ratio tam excellentiæ status sive sacri Ordinis, eos ad Divina perpetuò adstringentis, propter quam Majoribus: quàm congruæ sustentationis ex beneficio Ecclesiastico suppetentis, propter quam clericis Minoribus beneficiatis advocati munus (extra casus omnibus permisos) est interdictum, Pagnanus in c. 1. cit. n. 2. qui tamen satis probabiliter advocacionis munus etiam clerico constituto in Majoribus, sed congruam sustentationem aliunde non habenti permillum n. 4. & contrà prohibitum, existimat clerico in Minoribus constituto, nullum quidem beneficium aut stipendium Ecclesiasticum, sed tamen habenti bona patrimonialia, ex quibus commodè vivat, n. 5. ex ratione; quòd clerici congruam sustentationem aliunde habentes negotiis secularibus se immiscere generaliter prohibeantur, 2. Timoth. cap. 2. v. 4. Rubric. & textus *Ne clerici vel Monachi &c.*

15. Quarto, clerici quicumque postulare, saltem contra reum, prohibentur in causa Criminali, cui sanguinis poena imponenda venit, c. *Sententiam 9. Ne clerici vel Monachi &c.* propter periculum contrahendæ irregularitatis. Uti etiam contra Ecclesiam, à qua beneficium, sive in ipsa, sive in alia Ecclesia obtinuerunt, c. *fm. V. Clericus autem*: & contra proprium Episcopum consilium vel auxilium aliis præstare, c. *Grave 15. de Excess. Pralat.* ne tanquam ingrati beneficium ab ipsis obtentò, non quidem ipsò Jure, sed per sententiam priventur, ut ibidem statutum est, & desumitur à paritate donatarii & Vasalli: qui, si contra

donatorem aut dominum patrocinium aliis præstent, illi facta donatio aliquandò revocari, & iste Feudò privari potest perinde, ut si contra proprium dominum militasset, Panormit. in c. *fm. cit. n. 2.* ubi Barbosa n. 8. & Gaill. *Lib. 1. observat. 88. n. 5. & 6.*

Sententià demum iudicis aliqui, vel in perpetuum, vel ad tempus vg. quinquennium ob contumaciam vel delictum vel aliam causam postulare prohibentur, l. 1. §. 3. ff. *de Offic. pres. urb. & l. Moris 9. pr. ff. de Panis*; ob harum enim causarum aliquam advocacionis officio interdicitur

16. Imprimis ei, qui litigatori, advocatum non inveniendi, patrocinium præstare à iudice justus sine justa causa recuserit, l. *Providendum 7. C. hic*; quamvis enim ad advocandum compelli invitus nemo possit, si quis tamen in numerum advocatorum semel est receptus, patrocinari, si iudex vg. pauperis, pupilli, aut alterius miserabilis personæ causam eî commendet, tenetur: nisi justam causam habeat se excusandi, vg. quòd clientis adversarius suus amicus, cognatus, dominus sit, Covarruv. *Prætic. cap. 6. n. 4.* & aliis relatis Barbosa in l. *cit. n. 7. & 8.* quia pauperibus & similibus personis petentibus, imò etiam non petentibus, idoneos advocatos dare iudex ex officio tenetur, l. *Nec quicquam 9. §. 5. ff. de Offic. Proconsul. Gaill. Lib. 1. observat. 43. n. 10.* Unde

17. Dubium oritur de advocati pauperum salario. Illum his gratis inservire in Camera Imperiali sub poena pecuniaria, imò privationis officii compelli, testis est *cit. Gaill. n. 10.* & sub mortali peccati reatu teneri, cum Sylvestro *V. Advocatus n. 12.* docet Sotus *Lib. 5. de Justitia q. 8. art. 1.* Quod, licet verum sit casu, quò pauper in gravi causa patrocinio aliis destitutus esset: peccatum 12.

Ccccc 3

tum tamen illud Charitati potius quam Justitiæ adversari, rectè observat Haunold, *Tom. 5. de I. & I. Tract. 2. n. 530.* Nisi advocatis ejusmodi personarum causas orantibus, salaria publicè essent constituta: sicut in Camera Apostolica Romæ, in Curia Catholici aliorumque Regum receptum, testes sunt Vestrius *Lib. 2. Introduc. cap. 7.* & Covarruv. *cit. n. 4.*

18. Sunt qui, ubi hujusmodi salaria constituta non sunt, divitem pauperis adversarium ad salarium ejus advocato præbendū obligent: eaque à Rege cum illo litigante in Regno Gallia præberi, Boëtiō allegatō, refeant. Sed, sicut hoc omnino Regium piūque est, sic divitem non temere litigantem ad salarium sui adversarii etiam pauperis advocato præbendum obligare, durum haud immeritō videri potest, & satis refellitur *l. Imperatores 17. ff. de Tutel. & rat. distrah.* ubi relati Severus & Antoninus Imp. sumptus litis sibi ab adversario subministrari volentis postulationem rejecerunt. Quare, ubi constitutio salarii publica vel Curia praxis gratis ferendi obligationem non imponit, pauperibus, quæ advocatis præbeant, salaria ex elemosynarum arario subministranda: & hōc deficiente, demum clientibus omni subsidiō præsidioque destitutis patrocinium gratis ex obligatione, à Charitatis lege impositā, impendendum, existimo cum Haunoldo *l. cit.*

19. Deinde, qui malā fide processisse, & colludendō causam adversario prodidisse, fuerit compertus, *arg. l. 1. in fine § 1. Accusator 5. ff. de Prevaricat.* Menochius *de Arbitr. casu 323. n. 9.* Unde

Dubium oritur, an advocatus, unius partis rationibus instructus, contra eam servire alteri possit. In quo magni nominis ac notæ RR. LL. Interpp.

utuntur distinctione: Et, licet eum, qui postquam uni operam suam promittit aut impendere jam cepit, eā deserta, alterius partis patrocinium suscipit, prevaricationis saltem latius dictæ, *l. 1. cit.* imò Falsi crimine teneri, *l. 1. §. 6. ff. ad L. Cornel. de falsi.* & extraordinariā penā afficiendum velint, juxta *l. 1. c. de Advocat. divers. judic.* eum tamen, qui cognitis juribus & fundamentis ei, quod injustam causam foveat, operam suam denegat, & alterius patrocinium suscipit, ulli crimini & penæ obnoxium non esse aiunt. Sed, etsi posterior hæc distinctionis pars Juridica dici queat, periculosam tamen & viro honestatis studioso cavendam, merito censet *Parma. Prax. Criminal. q. 4. n. 16.* & propterea advocato, clientem suum malam causam fovere animadvertenti, ut ei quidem mercede, si quam accepit, restituta, patrocinium denegat: sed hoc adversario non impendat, salubriter constituit cum *cit. Menochio n. 5.*

Neque ei hujusmodi clientem & causam, jam agi ceptam, desertenti obstat juramentum, quō operam illi suam ad finem litis usque addidit; quia illius Religio non porrigitur ad causam iniquitatis causæ, perspicuè apparentis. Imò, hāc compertā, in causæ defensione persistere volenti obstat juramentum alterum, quō advocatus in litis (vel saltem officio sive cum ejus nomen Matriculæ inscribetur) initiō, se in causa iniqua non patrocinaturum: & si in litis progressum eam improbam esse cognoverit, recessurum promittit, *l. Rem non novam 14. §. Patroni 1. c. de Judicis cit.* Hujus Resolutionis occasione

Dubium, & non minoris in praxi utilitatis controversia de avvocato est, an solummodo probabilis & in utramque partem accipitis causæ defensionem suscipere &

re & prosequi possit. Non posse, si ejus probabilitas tam exigua sit, ut vincendi spes moraliter nulla sit, nemo facile inficias ibit; cum ejus tuitione cliens ad inutiles expensas inducatur. Casu etiam, quò istius causæ probabilitas, indèque orta spes victoriæ non modica quidem, minor tamen est eâ, quæ pro adversario militat, saltem quando de magni momenti re lis est, ejus defensionem licitam, negat Sotus *Lib. 5. de Just. q. 8. art. 3.* cum, quòd ubi jura partium sunt dubia & obscura, favendum sit reo, *e. Ex literis 3. de Probat. c. Inter 6. in fine de Fide instrument. Sc.* tum verò; quòd bellum inferre non liceat ei, cujus causa probabilior judicatur.

22. Nihilominus, dubia & probabilis causæ patrocinium suscipere advocatis, in interno etiam sive conscientia Foro permittitur, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 28.* Guttierrez *Q. Q. Canon. lib. 1. cap. 13. n. 24.* Lessio *Lib. 2. de I. & I. cap. 31. n. 52.* & aliis primi nominis DD. meritò defendunt Haunold. *cit. Tract. 2. n. 543.* & Zoesius *in ff. h. c. n. 14.* dummodo de minori probabilitate & periculo clientes admoneant. Rationem reddunt; quòd ex una id, quod advocato probabilior apparet, non semper verum, & sæpe minus probabile videri judici possit: ex altera verò parte, advocati munus sit ejus, quàm tuetur, partis causam proponere & quæ pro ea faciunt, allegare: quod facere, cum omni Jure cliens possit per se, non apparet, cur nequeat per advocatum: & iste pro ipso; cum ita de utriusque partis jure informatus judex, justam sententiam pro una vel altera parte, cujus merita majora videbuntur, ferre facilius possit.

Neque aliud evincit favor rei; quia advocatus à judice non petit, ut casu,

quò secundum jura ei favendum est, pronuntiet pro actore: sed solummodo ut, quæ pro actore faciunt, ponderet, & pro eo pronuntiet, si ejus causæ merita cognoscat esse potiora: ad quòd judicem ex officio obligari, *Lib. 2. Tit. 27. art. 4.* statuetur. Neque eadem ratio est advocacionis & belli; quia hoc gerens actu exequitur sententiam, quæ belli causam esse justam, idque propterea inferendum in consilio Status est pronuntiatum: advocatus autè per patrocinium causæ, quam pro cliente agit, judici merita duntaxat exponit, ut de jure rectè valeat pronuntiare, *cit. Lessius n. 54. & Haunold. n. 545.*

Denique, qui sub nomine honorarii ex ipso negotio, quò tuendum suscipit, emolumentum sibi certæ partis, sive quotam litis & rei in judicium deductæ, cum litigatoris damno fuerit pactus, *l. Sumptus 53. ff. de Pactis & l. Si cui 5. C. h. c.* hoc: quòd prohibendi justissima ratio fuit non solum; quòd contineat redemptionem litis, Juribus exosam, *l. Item si 4. in fine ff. de Alienat. jud. mut. causâ:* sed etiam; quòd illicita compendia & deprædationes clientum esse, & malitiosè litigandi occasionem, imò illicitum præbere videantur advocatis: quorum improbitas, sibi promissæ quotæ obtinendæ invitamentò excitata, per malas artes & mendacia, per fas & nefas, ad victoriam faciliè grassaretur, Sylvester *V. Advocatus n. 12.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 106. n. 6.* Ubi

Dubium movetur de pacto certæ quantitatis pecuniariæ vel rei in litem non deductæ; quòd Odofredus *in l. Si quis cit. n. 2.* Guido Pap. *decis. 102. n. 2.* & Fulgoso teste, communis sententia aliorum pro valido habet: iste contra *in l. Salarium 7. pr. ff. Mandati & cum eo Sylvester l. cit. Sotus cit. Lib. 5. q. 8.*

23.

q. 9. art. 4. & alii, numerò & nomine etiam potiores, invalidum censent. Illi nituntur *l. Si qui cit.* textu, pactiones non de re quacunque, sed eas duntaxat, quæ de certa parte sive quota ex ipsis negotiis, sive rebus litigiosis, ineuntur, 24. improbane. Isti verò; quòd adversus quotam litis allatà & à DD. passim receptà ratione, etiam de quantitate pecuniaria vel alia re præstanda, clientem inter & advocatum inita pactio impugnetur: & Jure etiam reprobata videatur, *l. Si remunerandi 6. §. fin. ff. Mandati.*

Ex duabus his Opinionibus præfero quidem posteriorem: ab istius tamen Sæclatorum mente non alienam existimo distinctionem inter pactiones: unam, quâ de certa quantitate vel alia quapiam re advocato vel procuratori in eventum tantum victoriæ: alteram, quâ de illa, seu vincat seu vincatur, præstanda convenitur. Et priorem quidem perinde, ut quæ de certa quota litis est, invalidam: posteriorem verò, saltem si quantitas moderata & salarii nomine debitâ non multò major sit, subsistere, censeo tum Paulo de Castro in *l. Si qui cit. n. 2. & 3. Salyceto in l. cit. n. 3.* & aliis, quos refert & sequitur laudatus Farinacius à n. 37. quòd illud, non etiam hoc pactum advocatos ad calumniandum invitet, & bonis moribus adversetur, *l. Sumptus 53. ff. de Pactis.*

25. Sunt & à cit. Farinacio referuntur DD. qui pro irrito etiam habent Juramentum pactioni, de litis quota vel certa quantitate in eventum victoriæ præstanda, adjectum; quòd, ut dictum, bonis moribus adversetur; ac proinde de eo procedat Regula, *Non est obligatoriam, contra bonos mores præstitum juramentum*, quæ est § 8. in 6. Sed

ratio ista majorem speciem quàm vim habet; quia boni mores, quibus adversatur, non Naturales, sed Civiles tantum sunt; cum ejusmodi pactio ex natura & sine suo advocatum ad majorem diligentiam in prosecutione litis adhibendam excitet: calumniandi autem occasio, quam per accidens aliquando præbet, solum remota, hominum improbitati potius, quàm illi sit imputanda. Quare, licet ejusmodi pactum juramentò non confirmetur, ut producat delictum: tamen, quia salutis dispensationem: aut tertii præjudicium per se non adest, probabilius ad sui observantiam obligat jurantem, per Regulam *c. Cum contringat 28. de Jurejurando 6. c. Quamvis 1. de Pactis in 6.*

Post causam etiam actam, sive litem definitam sub honorarii sive salarii, imò palmarii sive victoriæ nomine, sicut de moderata quantitate pecuniaria aut alia re, in litem non deducta: sic etiam de quota litis clientem inter & advocatum inita etiam simplex pactio nullo Jure reprobata, imò approbata reperitur, *arg. l. 1. §. 12. V. Si verò ff. de Extrajud. cognit.* Farinacius q. cit. n. 30. & 31. quia tali casu cessat ratio prohibicionis.

Porro, ad postulandum, sive ad executionem cati munus in judiciis obeundum, admittitur si proprium officium est, clientibus pro sua causæ defensione ad ipsum recurruntibus opportunum consilium & auxilium præbere, eorum causas discutere & si justas cognoverit, earum merita, sive omnia, quæ ad eas sive de Jure sive de facto conferunt, diligenter conquirere & ordinate digesta, in judicio proponere, easque contra adversarios opportune defensionis viribus tueri, *l. Advocati 4. C. de Advocat. divers. jud. Tholosan. cit. esp. 6.*

28. *cap. 6. n. 34.* Cujus, non privatis duntaxat, sed ipsimet Reipublicæ utilissimi & omnino necessarii muneris partes observare ipsi: &, ut observentur, laborare tribunalium præfides, eoque sine sollicitudine curare debent

29. Primò; ut Advocationis officio non tantùm se non ingerant Jurium imperiti: sed periti etiam, quantum fieri potest, utrinque æqualiter distribuuntur; ne, cum peritissimi tuerentur unum, altera pars à rudibus & tironibus defendatur; itaque idonei advocati inopiâ potiùs, quam juris pro adversa parte militantis potentiâ, visâ succumbat, *l. Providendum cit. & Camera Imperial. Ordinat. p. 1. Tit. 19. pr.*

Secundò; ut advocati, cum pro clientibus in judicio comparent, & istorum causas ore & scriptis agunt, eas, quæ sunt facti, cum debitis sive ad negotium pertinentibus circumstantiis: &, quæ Juris sunt, sincerè & dilucidè, sine procepiis & parergis, hoc est, longarum benevolentia captationum, inutilium & ad causæ decisionem nihil conferentium narrationum controversiarumque ambagibus & allegationibus præcisus, exponant, Tholosan. *l. cit. n. 30.*

Tertiò; ut ultra, quam litis exposcit utilitas, in se exacerbati intempestivè sibi in judicio non obstrepant, & in licentiam convitiandi & maledicendi temeritatem non prorumpant, seque profcindant scripturis famosis: utque, si quis adeò procax sit, ut non legum vi & momentis rationum, sed contumeliis atque opprobriis certandum putet, existimationis suæ diminutionem patiat, atque insuper, juxta excessus qualitatem, judicis arbitriò pecuniaria aliàque poenâ pleatur, *l. Quisquis 6. C. hic, Tholos. tit. n. 30.*

Quartò; ne causas semel susceptas

frivolis & frustratoris dilationibus exceptionibusque & aliis, corruptò hòc seculò familiaribus & pessimis artibus protrahendò adversarios, imò clientes etiam suos circumducant: & antequam litium finis appareat, ipsos ad mendicitatem deducant, *l. Quisquis cit. Speculat. Tit. de Advocato §. 1. n. 5.*

Quintò, ne honorarii sive mercendis & salarii nomine immodicum lucrum exigant vel accipiant, *l. Si sub specie 3. l. Si qui 5. §. 1. Quisquis 6. C. hic,* etiam si causæ ad optatum exitum perducendæ debitam diligentiam impendissent. Si causam culpâ suâ sive nimia Juris imperitiâ vel negligentia in judicio perdidisset, multoq; magis, si eam colludendò adversæ parti prodidisset, non solum salarii nomine quidquam exigere non posset: sed ad ejus etiam, quod accepit, restitutionem omnisque damni ex ejusmodi imperitiâ, negligentia, collusione secuti refarcitionem clienti faciendam in conscientia teneretur, Hostiens. *in Summa n. 4. §. 5. & Sylvester V. Advocatus.*

Saluberrima hæc monita, si observentur, magnò partium compendiò & Reipublicæ commodò maximò ad desideratos justosque &, hodie plerumque diu, & sæpe necquicquam, expectatos exitus facillè perveniunt: & periculum non erit; ne judices, causarum quotidie subnascentium & in Curiiis, quas semel ingressæ sunt, harentium cumulatione molèque oppressi, muneri suo impares evadant.



D d d d TITU.